

humanitate maneret gratia, et omnes virtutes, seu accidentia illi inhærentia; ergo maneret illa virtus justitiæ commutativæ: nec enim habet a quo corrumpatur, et consequenter homo purus est capax talis virtutis: alioquin si non esset capax, et anima Christi esset capax illius, obedientialis ejus potentia ex unione ad Verbum esset major, quam in nobis, quod est absurdum.

XXIV. Secundum argumentum: Quia Christus non satisfecit ut æqualis Deo; ergo neque per justitiam commutativam. Antecedens patet, quia satisfecit ut homo; satisfecit ut patiens, et humiliatus ipsi Deo; unde Paulus dicit, quod: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, et sic inquit Vincentius, non est consonum veritati fidei dicere, quod Christus satisfecit ut æqualis.

XXV. Tertium: Quia ille habitus justitiæ commutativæ esset finitus, et limitatus; ergo satisfactio Christi, prout a tali virtute, non habet infinitatem: ergo neque æqualitatem ad compensandum; et consequenter prout ab illa virtute non est actus justitiæ commutativæ. Si dicatur virtutem illam habere infinitatem moralem ex supposito, licet non physicam ex sua specie, contra hoc est, quia propria ratio justitiæ commutativæ, non sumitur ex dignitate personæ in qua est, sed ex ordinatione ad actum, et objectum suum: sed ex objecto suo non habet infinitatem, et æqualitatem, et consequenter ex propria ratione sua non habet rationem justitiæ commutativæ; illa enim dignitas ex persona proveniens communis est omnibus aliis virtutibus, per quas Christus exercebat opera satisfactoria.

XXVI. Nec potest dici, quod aliæ virtutes, ut satisfactoriæ, dependebant, et subordinabantur justitiæ commutativæ, quia licet justitia

commutativa posset imperare illas, quantum ad suas rationes specificas, non tamen quantum ad dignitatem, quam habent a supposito, quia hæc dignitas a nulla virtute regulari potest. Nec enim ulla virtus creata ex sua propria ratione dignitatem illam præhabet, sed ex supposito accipit, et actuali ejus exercitio. Cum ergo talis dignitas nullo modo ex parte objecti virtutis se possit tenere, a nulla virtute regulari potest ex propria ratione: frustra ergo ponitur justitia commutativa, cum ex ipsa, et ex specie, seu objecto suo, non possit desumi infinitas, nec æqualitas satisfactionis.

XXVII. Denique potest argui ex Lorca, quod inter Deum, et homines non potest intercedere vera justitia, et debitum legale, quia non potest inter ipsas esse vera ratio dati, et accepti, nec translationis, aut collationis dominii; ergo nec inter Christum, et Deum. Consequentia patet, quia Christus assumpsit in se debitum quod homines habebant erga Deum; ergo si eorum debitum non erat secundum justum commutativum, nec nos ex justitia commutativa satisfaceremus, si possemus ad æqualitatem satisfacere, neque Christus ex commutativa justitia satisfecit.

XXVIII. Respondetur ad primum, commutativam justitiam dimanare a gratia, non quomodocumque, sed a gratia plena, seu habente illam summam perfectionem gratiæ ex conjunctione ad Verbum. Itaque gratia prout conjuncta Verbo est principium a quo dimanat justitia commutativa, non vero gratia separata a Verbo. Sicut enim grave in centro est principium quietis, ut propriæ passionis pro illo statu; extra centrum vero non est principium illius, sed motus: ita gratia posita in suo centro, quod est Deus,

est principium justitiæ commutativæ ad Deum, non vero extra Verbum: sicut gratia ut consummata est principium visionis Dei, ut non consummata est principium fidei. Unde licet in nobis sit ejusdem speciei, non tamen habet eundem statum, et consequenter, neque est principium earundem passionum; alias probaret in Christo debere esse pœnitentiam, et fidem, quia in nobis est gratia principium illarum. Si autem Verbum dimitteret humanitatem, necessario quoque dimitteret justitiam commutativam, eo quod gratia tunc haberet alium statum separata a conjunctione ad Verbum: sicut lapis separatus a centro, non amplius producit quietem, sed motum, neque gratia separata a termino patriæ producit visionem, sed fidem.

XXIX. Nec sequitur ex hoc, quod anima ex unione ad Verbum habeat majorem potentiam obedientialem, sed solum sequitur, quod in puro homine, non est immediate et proxime capax illius virtutis; est tamen mediate et remote, quia anima nostra est assumptibilis a Persona divina, et consequenter mediante assumptione capax illius virtutis; sicut anima videns Deum non est capax fidei, nisi mediate, id est, posita in statu viæ, et separata a visione; nec anima Christi capax pœnitentiæ, nisi mediate, si dimittatur a Verbo.

XXX. Ad secundum, miramur quomodo magister Vincentius, ita acriter censuret illam propositionem, quod Christus non satisfecit ut æqualis Deo, æqualitate se tenente ex parte suppositi, non naturæ, cum ipse dicat Christum non satisfecisse, nisi per actiones reflexas, quibus suppositum ipsum in natura assumpta humiliabatur Deo, etsi suppositum humiliavit; ergo æquale Deo subjecit, quia supposi-

tum illud sic humiliatum, non rapinam arbitratum est esse se æquale Deo, et hoc est quod fides docet: nam utrumque eodem loco conjunxit Apostolus, quod: *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, et quod: *Exinanivit semetipsum, et humiliavit factus obediens, usque ad mortem*: ergo satisfecit ut homo ex parte naturæ, ut Deus ex parte suppositi, et per passionem, et humiliationem, etiam ipsius suppositi æqualis mediante natura assumpta satisfactio peracta est.

XXXI. Ad tertium eodem modo tenetur respondere Vincentius, qui satisfactionis infinitatem in illis reflexis actionibus posuit, quibus suppositum humiliabatur, et se ut humiliatum offerebat Deo, ita quod supra suppositum tamquam supra objectum reflectebantur actiones, atque adeo ex propria ratione illius reflexionis habebat pro objecto infinitam dignitatem, et consequenter ex natura, et specie talis reflexionis. Quare dicendum est, quod illa justitia commutativa in Christo, habet pro objecto æquivalens pretium Deo pro offensa reddere, atque adeo dignitatem illam infinitam actionibus communicatam habet pro objecto specificativo: justitia enim commutativa inclinatur quidem ad reddendum æquale pro æquali, non tamen ipsa ex se reddit pretium, sed facultatem aliunde supponit sibi præstari in re. Habet tamen pro objecto illam, si adsit, pro commutatione dari; sic ergo ex supposito derivatur valor in commutatione, et satisfactione Christi exhibendus, non ex virtute justitiæ; illum tamen justitia habet pro objecto, seu pro materia respicere, ut reddat æquivalens.

XXXII. Et quando instatur a Vincentio, quod nulla virtus regulare potest illum valorem, nec pro objecto habere, quia illum præhabe-

ret ex propria ratione, et specificatione sua, non ex supposito, respondetur quod præhabet illum valorem ex propria ratione, et specificatione objectiva, quæ objectiva ratio est ipsum suppositum; habet enim pro objecto valorem ex supposito desumptum offerre Deo, et id quod in aliis virtutibus Christi est dominatio dignitatis suppositalis, in commutativa justitia est objectum specificativum: sicut unio hypostatica ex propria ratione habet respicere dignitatem infinitam, quia ipsum suppositum est terminus, seu objectum talis unionis: sic ergo justitia commutativa dupliciter habet dignitatem infinitam. Primo, denominative secundum quod in exercitio determinatur a supposito ut principio quod, sicut cæteræ virtutes: secundo, objective, et specificative quatenus respicit pro objecto proprio valorem desumptum a supposito offerre pro recompensa.

XXXIII. Ad quartum respondetur, quod licet inter homines, et Deum non possit intercedere debitum legale rigorosum, fundatum in ratione dati et accepti, bene tamen fundatum in læsione divini juris, quia hæc est vera et propria ratio injuriæ, ut supra probavimus, et ipse Lorca non negat. Non potest autem habere rationem propriæ injuriæ, nisi lædat proprium, et verum jus, atque adeo debitum rigorosum, et legale inducat, quantum est ex parte juris læsi, non minus quam si alicui homini fiat injuria, licet ex parte lædentis sit impotentia ad restituendum. Christus autem assumpsit supra se hoc debitum ut imperfecte, et cum impotentia reddendum, sicut homines poterant; sic enim gratis mereretur, sed ut tenebat se ex parte personæ læsæ, et injuriam propriè dictam illi irrogabat.

DISPUTATIO TERTIA.

DE DECRETO INCARNATIONIS.

ARTICULUS I.

Explicantur instantia, seu signa rationis in decreto incarnationis, et aperitur punctus difficultatis.

I. Non sumimus hic signa divinæ voluntatis in eo sensu, quo de illis loquitur S. Thomas 1 part. quæst. xix, artic. xii, ubi quinque signa divinæ voluntatis distinguit, tamquam ea per quæ nobis declaratur quid Deus velit, et quomodo velit, et ita non sunt signa ad distinguendum objecta volita, sed sunt effectus, quibus nobis innotescit Dei voluntas, sicut præceptum, permissio, consilium, etc. In præsentibus autem sumimus instantia, seu signa rationis ad distinguenda aliqua objecta volita, quæ in nobis distinguerent diversos actus; in Deo autem solum distinguunt plures habitudines ejusdem actus, secundum quod vult unum ordinari ad alium, ut dicit S. Thomas 1 part. quæst. xix, artic. v; quia enim in Deo plures actus voluntatis non sunt sicut in nobis, et tamen tam diversa objecta sunt volita sicut a nobis, illi simplicissimo actui assignamus diversa instantia, seu signa, id est, diversas habitudines ad diversa objecta. Unde idem est assignare diversa instantia, atque assignare diversa objecta volita a Deo.

II. Et quando inter ipsa objecta est ordo, et connexio, ita quod unum dependeat ab alio, vel sit prius alio, dicitur etiam unum signum, seu instans esse prius alio: et quia causæ ad invicem sunt causæ, et con-

sequenter ad invicem dependent, et habent prioritatem, et posterioritatem, quæ dicitur prioritas naturæ, seu dependentiæ, ideo invenitur etiam unum signum esse prius, et posterius secundum diversas considerationes, seu habitudines. In præsentibus ergo, cum agamus de efficaci decreto Dei quo decrevit, ac voluit incarnationis mysterium, et volitio efficax pendet ex pluribus; nam respicit finem, et respicit media; respicit intentionem, et executionem; respicit rem quoad substantiam, et quoad circumstantias; respicit absolute in se, et comparative ad alios ordines rerum; respicit adæquate, seu complete, et secundum omnia illa distingui solent instantia, seu signa rationis in hac parte, non solum modica confusione, sed magna difficultate, ut videri potest in magistro Nazario hic artic. iii, controversia unica, et Cabrera.

III. Ante omnia autem moneo, quod quando distinguimus ista instantia in decretis divinis, non ita possumus unum instans, seu decretum ab alio se jungere, quod unum habere possit rationem futurationis respectu alterius, nec Deus potest cognoscere aliquod decretum suum, ut futurum sub aliqua consideratione, sicut putavit Suarez, lib. ii de scientia conditionali, cap. viii. Contra quem pugnat Vazquez 1 part. distinct. lxxiii, cap. iv, §. Sed quæret aliquis; et pater Herice, tract. i, disp. i, cap. ix, separatio quippe instantium, seu signorum in divinis decretis, nunquam potest fieri in duratione, sed solum in connotatione ad objecta, quæ attingunt, quia si posset concipi etiam a nobis unum instans, seu decretum divinum, ut in duratione sejunctum ab altero, et ut futurum respectu alterius decreti, vel respectus voluntatis Dei, posset concipi ut non co-

existens alteri, nec coexistens voluntati Dei, quia quod est futurum non est simul coexistens, sed succedens in existentia; repugnat autem in conceptu ipsius puri esse concipi aliquid, ut non coexistens, sed ut succedens; ergo repugnat concipi ut futurum. Quæ est ratio cur in progressionibus personarum, licet sit ordo originis, est tamen omnimoda similtas durationis, etiam in nostris conceptibus, quia est omnimoda consubstantialitas, atque adeo omnimoda coexistentia, et duratio.

IV. Quare hoc adverso, instantia, seu signa decretorum divinatorum distinguimus secundum diversas habitudines ad objecta (ut dicit S. Thomas xxiii quæst. de veritate, artic. ii ad primum et secundum) quæ prius, aut posterius sunt volita, et procedimus in his signis distinguendis tripliciter. Primo, secundum analogiam, et comparisonem ad actus, qui in nostra voluntate inveniuntur secundum intentionem, et executionem ad finem: secundo, ex parte motivorum, quæ concurrere possunt ad inclinandum voluntatem ad aliquid decernendum, si est unum adæquatum, vel plura: tertio, ex parte objectorum, quæ concurrunt, et respiciuntur a voluntate efficaci, et dependentia, seu connexione unius cum alio.

V. Invenitur autem in nobis primo distingui actus intellectus circa objectum, quod proponitur voluntati, et actus voluntatis tendens ad illud: et sic etiam in Deo correspondet instans, seu signum, quo cognoscit res faciendas, proponens illas voluntati, et signum, quo voluntas vult illas; et in intellectu adhuc distinguitur signum cognitionis speculativæ, et practicæ, sed de hoc nobis non est difficultas hic. In ipsa ergo voluntate, post propositum objectum ab intellectu, incipit tenden-